immineret. primum Francofordiam occupat, sedem totius Germaniae superioris Eporum: cum ejus cives tantam pecuniae vim ex aerario publico erogarent protestantibus, ut hostium non paulo [illegible] quaeritare ad Evangelici belli militem sustinendum.

O belli mores. Francofordiae recepto praesidio in Lantgravii Hessi ditionem militem educit, atque oppidulo Vindi expugnato, magnam civitatis ditionis partem in fidem accipit: fit ut pro Coronide superiorum addam, hoc omnium fuit additum conditionibus, ut sacramento obligarentur se habituros ratum quidquid in futuro ecclesiae conventu de religione statueretur.

Opinor omnibus hoc fuisse imperatum protestantibus.

Sublata in Germania conscriptis, refecit vires Imperator, atque in [illegible] loca, quos frigus absumpserat impatientissimos hiemis, novum instituit militem: nec cessat interim Saxo, Mauritiumque patris [illegible] bello vexat. Obsidet Lipsiam multis diebus, atque ita tormentis moenia quatit, ut [illegible] esset [illegible].

Mittit Mauritio auxiliares copias imperator, quibus praefecit fratrem Ferdinandum, et Marchionem ex familia Brandenburgensi Albertum, qui paulo post per insidias capitur. Hessus domi se continet, nec laboranti Saxoni ullas copias auxiliares ~~militares~~ mittit: quae res non parum invidiae apud bonos ~~conciliavit~~ Hesso. Lipsia magnis viribus defensa fuit, nec unquam in hostis venit manus. Saxo cum intelligeret imperatorem restituere exercitum, fiduciaque certo se solum peti, ad Smalcaldici foederis conspiratos, legatos mittit, qui omnes illi responderent, exceptis paucis, non religionis, sed rebellionis causam agi: et si religionis ageretur res, hoc nec Saxonem, nec Hessum sua debuisse incipere authoritate, aliis inconsultis, sed communi omnium consensu fuisse inchoandum. Eadem de re legatum mittit ad regem Galliae Franciscum, qui (ut dicitur) illi misit bis centena millia coronatorum. Vidi ego in curia apud Sctm Germanum Cancellarium Saxonis [illegible], qui [illegible]

ad regem